



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,  
Commentarii**

**Sacchini, Francesco**

**Ingolstadii, 1616**

Romam venit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41515**

Deinde Bo-  
noniam.

Romā venit.

Sed tandem, quia Ignatius omnino iusserat Tri-  
dento proficisci, Cardinali quoque assentiente,  
discessere ambo tertio die Paschæ: Patauique ali-  
quot dierū mora ducta, Bononiam tandem con-  
cessere. Hic Canisius & inter Theologos senten-  
tiam dixit: & quia Cardinales Concilij præfides  
quæcunque Tridenti, ac Bononiæ tractata de Sa-  
cramentis erant, iusserant Lainium, ac Salmero-  
nem colligere, disputationesque inde pulcherri-  
mas in ordinem, ac viam ipsi redegerant, idem iis  
disputationibus stylo politiore complectendis,  
exscribendisque (nam & characteribus scribebat  
cum quadam dignitate clarissimis) plerumque  
temporis impendebat magno sanè labore, sed nō  
minore voluptate, studioque obtemperandi, ac  
famulandi iis, quos tanto, quam se vtiliores pub-  
licè existimabat. Cū deinde Concilium non  
procederet, cum Lainio Ignatij iussu Florentiam,  
inclinato Iunio; inde Romam, vbi primum fra-  
cta ætas permisit accessum, venit.

Haud difficile cogitatu est, quanta exultan-  
tis animi pietate Parentem Societatis Ignatium  
conspexerit, ad eius sese prouoluerit pedes, tum  
paternum amplexum exceperit: qua deinde sub-  
missio-

missione animi, & hilaritate totam illam sanctā domū complexus fit. Nec profectò minore ipse, dudum fama notus, exoptatusque, caritate, ac benignitate susceptus est. Nihilominus tamen beatus Pater (id, quod cum aliis quoque, qui recepti in Prouinciis veniebant in Urbem, moris habebat) de integro interrogari iussit, ac singillatim explorari, num quibus ab ineunda Societate arceretur impedimentis; quamque ad eam animi præparationem afferret. Cumque percunctationibus cumulatè satisfecisset, Decimo Kalendas Octobris anno salutis humanæ Millesimo quingentesimo quadagesimo septimo post viginti circiter dies separatim in ædibus primæ probationis exactos, ad omnia paratissimus imperia, idque acturus, eo Societatis loco, & gradu, quem Præsides decreuissent, futurus, ad communitatem vite recipitur. Hic verò acrem animum, cupidumque summi profectus haud domestica solum inflammabant exempla, sed sanctorum Christi Athletarum, quæ passim sancta Vrbs offerebat, vetera monumenta & trophæa inclyta incitabant. Ceterum paulò plus quinque mensibus in florentissima illa, beataque schola virtutis licuit exerceri.